LIBRARIÆ UNIVERS IAGELL CRACOVI
Cim. 6161
8092

Primam editionem tragicocomoediae huius recensuit clar.
V. Fr. Gotth. Freytag in appar. literario Tom. I. n. CLXX.
p. 452/97. sub tit. Tragicocomedia de hierosolimi-
tana profectione illustrissimi principis pomerani in 4.
Foliorum 24. literis impressa est gothicis sane lucu-
lentis. Editionis tempus, hisce verbis in fine conspi-
cuis designatur. Finis tragicocomediae profectionis hie-
rosolymitanae illustrissimi principis Pomeraniae. Lipsiae
per Melchior. Lotter impressa Anno Xpi. millesimo quin-
gentesimo primo (1501.) In titulo conspicitur figura
Gryphi, qui insignia ducum Pomeraniae unguibus te-
net. Capiti illius galea cum corona imposita est his
adscriptis verbis:

Faveant tibi sidera precor

Nescivit Freytagius, ut ipse circumfatetur, eam un-
quam recusam fuisse. Sed recusa fuit Stetini ubi vi-
des, a. 1594.

TRAGICOCO-
MOEDIA.

DE HIEROSOLYMITANA PROFECTIONE

ILLUSTRISSIMI DUCIS Pomerani, &c.

ANTE ANNOS XCIII.
CONSCRIPTA,
à
CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO, IOHANNE
de Kitscher I. V. D. Præposito
Colbergense:

NUNC VERO DENUO IMPENSIS ISRAELIS CAYKOVII EXCUSA à Ioachimo Rhetio,

Cum privilegio ad triennium.

STETINI AD ODERAM
ANNO

M. D. XCIIII.

SVMMA PRIVILEGII.

CONCESSVM EST ILLVstri Privilegio, ne quis præsens opusculum absq; scientia & voluntate Israëlis Caykovij intra triennium imprimere, vel impressum vendere, aut distrahere in Provincijs Pomeraniæ præsumat, sub pœna centum florenorum Rhenensium, ut latius patet in originali Privilegio. Acta sunt hæc Julini 18. die mensis Aprilis, Anno 1594.

Cim. 6161

1970 D 176 St. Dr.

LIBER AD EMPTOREM.

TV qui animum claris adjecisti rebus,
Quem juvat veterum revoluere vatum volumina,
Perquiris Heröum qui gesta & fortia facta,
Me lege: Quod merito mireris invenies.

IDEM AD EVNDEM.

QVid nimium spectas? te nunc emisse pigebit,
Suscipe me nummis emptor amice tuis.
Quid referam nescis: Sed cùm mea scripta videbis,
Invenies celsi tu pia gesta Ducis.
Et dices: Factum est hoc nostro tempore rarum,
Multaq; quæ placeant, tu mihi crede, leges.

IDEM.

QVid veterum (imprudens) monumenta revolvis
Clara majorum: laboriose legens gesta.
Quid in Scipiadis miraris, Camillis, Quintijs & Decijs,
Hoc (me legens) unius Bugislai virtute mirari desines.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

QVid juvat veterum scrutari vigilias & legere codices,
Vt inde Illustrium excerpantur exempla virorum.
Sileat mendax Græcia, tumidi Macedones obmutescant
Per se arrogantes, Trojani mulierosi rabida ora frenent.
Vno in Heröe (dictu mirabile) Bugislao
Natura Romanorum exterorumq; omnium virtutes im-
(pressit.

PIO ET CANDIDO
LECTORI. S.

SI QVIS ITER HIEROSOLYMITANUM Bogislai Magni Illustriss. Ducis Pomeraniæ, animo lustraverit: ita multa reperiet præclarè ac fortiter ab ipso gesta, ut inde egregia vitæ morumq; documēta capere facile posit. Quo nomine non mediocri laude digni videntur, tàm qui primitus id literis consignare, quàm qui ab interitu vindicare voluerūt. Etenim, secundum Poëtam, Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Permagna sanè laus debetur hujus operis autori, nec tamen angustior, doctrinâ ac virtute expolitissimis viris, Dn. Antonio Peterstorffio, & Israëli Caykovio, Illustriss. Aulæ & judicij Ducalis Protonotario, & Secretarijs. Horum alter hasce lucubrationes in patriam nostram iterum advexit, quæ anteà quidem Lipsiæ, anno Christi 1501. editæ fuerant, sed incuria hominum exterorum, & temporum iniquitate, indignæ habitæ sunt, quæ legantur à nostris hominibus, ac veluti ῥαψῳδίαι quædam inutiles, multos annos in pulveribus & quisquilijs Bibliopolæ cujusdam Francofurtensis cis Mœnum, ἀνέκδοτοι jacuerunt: alter verò, simul ac videndi eas copia facta est, nihil magis expetivit, quàm ut denuo lucem aspicerent, & omnium manibus circumferri possent. Amore itaq; patriæ, & ut pijs Manibus Illustrissimi Heröis suus constaret honos, apud nepotes Inclytos, Illustriss. Duces Pomeraniæ, & ut publico emolumento atq; commodo id fieret: uterq; elegans hoc scriptum denuò typis divulgandum committere voluit. Sed imprimis id ursit, & impensas ad opus hoc pristino nitori restituendum præbuit humanissimus vir Dn. Israël Caykovius. Quanquam timidè ab initio, veritus non tàm momorum insultus, quàm calumniæ vim ac potestatem magnam, quæ optimos quosq; & innocentes maximè impetere solet, sicut dicitur: νικᾷ γὰρ ἀεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα. h. e. meliora semper invadit ac vastat calumnia. Verumenimverò posteaq; improborum censuram minimè reformidandam, neq; non unius sanum judicium multorum calumnijs anteponendum esse intelligeret: ab instituto pio, & utili se dimoveri passus non est, præsertim cum non ignoraret, viros bonos restinguere calumnias meritis & innocentia sua, ut qui aquam in ignem spargunt, quemadmodum apud Pindarum dicitur.

Committere ergò noluit, ut prisca facinora laudatissimi olim Ducis Bogislai obscura silentij nube involverentur: aut ex quo genere scripti cùm linguæ expoliendæ, tùm vitæ instituendæ exempla peti possunt: id tineis & blattis daretur arrodendum; sed potius è tenebris in lucem protrahere, & ad posteritatem transmittere, quantum potuit, elaboravit.

Nulla mehercule utilitas est thesauri, si sub terra desossus lateat, aut lychni ardentis, si infra scamnum ita occultetur, ut planè usura luminis sui adimatur. Multa verò opusculum hoc nobis reliquit, quæ collaudemus, multa quæ imitemur. Sive enim intuearis in Principe tanto justam & gravem illam animi inductionē, profectionis Hierosolymitanæ molitionem, ingenium acre καὶ εὔστροφον: Sive in veteri hoc atq; eleganti poëmate tersam & puram dictio-

dictionem, nullis calamistris inustam: multa bonorum cum laude, mores, gestus, sermones, vitam deniq; universam rectè hinc conformaveris: Vt taceam, quantum jucunditatis adferat, tùm quòd hac ratione adolescentia ad hoc studiorum genus attrahatur, tùm quòd non fabulas & inanes nugas hîc proponi videamus. Quid namq; liquidæ voluptatis percipi potest ex ijs rebus, quæ nullam habent similitudinem veritatis? Quod oculo lux, idem animo veritas, & quemadmodum luce oculi delectantur, abhorrent à tenebris: Sic animi nostri ijs quæ vera sunt gaudent, quæ falsa respuunt & aversantur. Quocircà pie & candide Lector, minimè hanc opellam aspernare, sed æqui boniq; facito. Nec tamen singula te volo exacta artificis statera, sed saltem populari quadam trutina examinare. Quod si fortè autor tua expectatione non satis dignum quid præstiterit, aut quod à syncera religione nostra dissideat, cæteris rebus bonis aspersit, existimes non ideò hominum manibus excutiendum esse. An propter unum exiguum nævum elegans totius corporis fabrica demolienda erit? Sed quicquid erratum, id omne conniventibus oculis asignandum putabis, cùm humanæ rationis imbecillitati, tùm eorum temporum procellis, ex quibus nos divina aspirante gratia, feliciter eluctati sumus.

Orabis mecum DEVM Opt. Max. ut in magna desperatione omnium rerum seculi nostri, umbraculo alarum suarum prosapiam Illustriss. Principum ac Ducum Pomeraniæ protegat, servet & tueatur, qui porrò Ecclesias foveant, & studia doctrinæ artiumq; honestarum Ecclesiæ necessaria propagari curent: atq; ut tandem hostes immanissimos, Turcam & Pontificios, qui toti orbi terrarum minantur, clementer à tuguriolis nostris depellat. At si volet nos perire, meminerimus nos oportere victimas fieri. Benè vale. SEDINI 25. die mensis Martij, quo ante annos 1594. Incarnatio Filij DEI, ipsi Deiparæ Matri semper virgini per Nuncium cœlestem, & consequenter toti humano generi denunciata est.

Bartholomeus Fridebornius
Sedinensis.

PETRI

PETRI RAVENNATIS, V. I. D. EQVITIS AVRATI, AD EMPTOREM CARMEN.

NOn dubites paucis Opus hoc tibi quærere nummis,
Pauca dabis, sed tu munera magna feres.
Hîc vis conspicitur scribendi magna Poëtæ,
Hîc quoq; quo poßit discere doctus eris.

EIVSDEM AD LIBELLVM CARMEN.

SIc tua forma jubet, totum liber ibis in orbem,
Candida fulgenti cornua fronte gerens.
Felicem ornabunt fulva instrumenta libellum,
Nec dêerit titulo purpureusq; color.
Scriptori multum debes clarißime divo,
Æternum fecit nomen habere tibi.
Non te culte liber poterit delere vetustas,
Non ignis, sed te secula cuncta legent.

VINCENTII RAVENNATIS DOCTORIS ITALI, ad Lectorem, carmen.

PErlege tu lector facundi dicta Johannis,
Atq; iterũ lector, terq; quaterq; legas.
Nescio quid scripto certe sit dulcius isto,
Aures nam mulcet, lecta referre juvat.
Eja age vos juvenes doctum celebrate Poëtam,
Atq; memor tanti sit benè quisq; viri.
Juppiter hunc voluit naturam noscere rerum,
Et voluit nostri temporis esse decus.
Vt video, talem nobis non prisca tulerunt
Tempora, nec similem forte futura dabunt.

EIVSDEM VINCENTII Carmen in Invidum.

INvide quid laceras præclari dicta Johannis,
Quid non audebis perfida lingua loqui?
Nec capiesq; rudi, sic sunt sublimia, mente,
Aurea sunt doctis ista legenda viris.
Invide quid credis? carpendo pulvere sufflas,
Fundis & in quovis verba canina loco.
Etsi tu docti carpas benè scripta Johannis,
Talia tu nunquam scribere posse puta.
Rumperis Invidia doctæ dulcedine linguæ,
Rumperis invidia, perfida lingua tace.

AD MAGNIFICVM ET SPLENDIDISSIMVM VIRVM, DOMINVM IOHANNEM DE KITSCHER,

Præpositum Colbergensem benemeritum, Divini Humaniq; Iuris Interpretem, Oratorem fœcundissimum, ac EXCELSI PRINCIPIS NOSTRI POMERANIÆ, &c. Consultorem, Vincentij Ravennatis Doctoris Itali &c. Carmen.

LAus Patriæ, Virtutis honos, dilecte Iohannes,
Salve, quo nunquam charior alter erit.
Tu non argento nec fulvo es deditus Auro,
Sed cunctis anima est gratior ipsa tibi.
Te quoq; fastidit Veneris damnosa voluptas,
Quæ solet insanos reddere sæpè viros.
Et tibi nam pulchro mens est in corpore sana,
Dulce tibi nomen Misina clara dedit,
Ingenioq; vales dubias componere lites,
Atq; faves doctis ingeniosè viris.
Canonis es princeps, sacrarum gloria legum,
Alter Fabricius, Relligione Numa.
Tu pater eloquij, Germanæ Gloria Gentis,
Te cuncti laudant, utraq; lingua colit.
Aurea nunc ætas, qua natus Tullius alter,
Lacteus & nobis Livius alter adest.
Iuppiter atq; dedit famam sine labe tenere,
Oblectas multos, Principibusq; places.
Vos precor ô superi, nostrum servate Iohannem,
Qui fandi splendor unicus estq; decus.
Iamq; vale, ac Italum memori sub pectore conde,
Quem fore ne dubita tempus in omne tuum.

INCLY-

INCLYTO ET PRAECELSO PRINCIPI, ET DOMINO,

DOMINO GEORGIO, STETINENSI, POMERANIÆ, CASSVBIÆ, SLAVORVMQVE DVCI, PRINCIPI RVGIÆ, AC Comiti Gutzkoviensi, Domino & Patrono colendissimo, Iohannes de Kitzscher, I. V. D. Præpositus Colbergensis S. P. D.

NVPER CVM EX VINdelicia Augusta redijssem, quo præcelsi Genitoris tui nomine iveram Orator, Lipsiam peragrans, aliqui celebres viri, qui unà olim mecum in literaria Palæstra instructi erant, officij me gratia adierunt. Et cum, ut assolet, inter loquendum invicti tui Genitoris mentio incidißet, admirati Hominis virtutem, adhortari vehementius cæperunt, Comœdiam de laudabili & stupenda ista Hierosolymitana profectione conscriberem. Quam injunctam Provinciam (ut imparem viribus) cum declinarem, tandem pertinaci eorum & obstinato proposito convictus, invitus renitensq; onus subivi. Duxi namq; consultius obtemperare hominibus optimè de me meritis, quibus vel perperàm

 obse-

obsequendo volui adesse, quàm prudenter silendo deesse. Venit præterea in mentem, ut animosè scriberem ea, quæ verbis essent meis & excusationibus fidem indubiam adjectura, fore namq; ut ea quæ tantopere efflagitassent, & quæ tumultuariè congessissem semel legentes fastidire (ob ineptiam, ariditatem, & dicendi genus simplex) inciperent, nec unquam in lucem producerent. Quod cum secus accidisse viderem, jamq; eam nostram præmaturam & indigestam editionem multorum in manibus (ob rei novitatem, gestorum magnitudinem, et dulcedinem veritatis) contuerer: haudquaquam suscepti pœnituit laboris. Placuit nàq; licet inconcinnius, explicasse ea quæ à Patre tuo fortiter & strenuè sunt gesta, (ne Posteritas tam claris fraudaretur exemplis) quàm pati ea oblivione corrodi, quæ immortalitate sunt dignissima: fuissent tamen paulo post inopia scriptorum intermoritura. Subjeci itaq; oculis Tuæ Celsitudinis rem ordine uti gesta fuit, quæ tantò fuit visu audituq; jucundior, quantò locupletiores Testes, qui intererant, affuêre.

Multorum itaq; inprimis Tuæ Dignitatis hortatu, eam ipsam, (etsi præcocem) in publicum passus sum prodire, felicissimo tuo nomini inscribens & dicans, sub cujus umbra facilè eam lividorum Vesanos morsus spero evitaturam. Cui enim alteri dicarem convenientius, inventus est nemo. Nam præter in-

ingenitam indolem, qua ad ingentia de te speranda, omnes excitamur: Enitescit in tam teneris annis quædam mira humanitas, exuberans comitas, facilitas, liberalitas, præcipua fides, veritas & virtus meritò extollenda. Quæ omnia pollicentur te Principem futurum absolutissimum, ut majorum stemmata egregiè sis exuperaturus, quæ tantum æquare gloriosum esset atq; præclarum. Nam rectè omnia consideranti, non in postremis laudum numerabitur, quod utrumq; Gen⁹ ne dum ad Reges, sed & Divos, (de quo Cæsar olim dictator gloriari consuevit) referre poteris, in quibus tot tamq; insignes viri floruêre, tam fuêre Pacis Belliq; artibus clari, tam in pijs operibus devoti, ut eorum memoria nulla annositate poterit aboleri. Præteribimus namq; Patrem, cujus fama nomenq; ad Gangem & Gades penetravit, nec Avi Proaviq; mentionem inferemus, quorum uterq; militari gloria & disciplina bellica fuit perinsignis. Barnim ille militaris castrensisq; artis scientissimus, bis, ut nostri canunt annales, Ottonis primi & magni copias fudit fugavit, eumq; castris exuit. Alter Barnim Ludovicum, ejus nominis secundum Imperatorem, vicit, conjecitq; in fugam, magnam Purpuratorum partem enecans. Ericum Gentilicium nominatim recensebimus, qui sua qua polluit virtute, ad Regalem est dignitatem evectus, Dacis, Suecis, Norbegisq; cum

 præ-

præclara totius Gentis suæ laude, quadraginta annis imperitans. Quid? Quod Cæsar Fredericus Orbis ille Moderator et Rector, Aviaq; tua paterna, duabus sunt sororibus progeniti, lasciviente ut opinor natura, & æqua lance maternam hæreditatem partiente. Quæ quantò cumulatius alteri divitias, potentiã majestatemq; contribuisset, tantò fuit alteri plus laudis, honoris & Gloriæ concessura. Sed receptui canẽdum, ne omnium mentionem inferendo, epistola voluminis instar excrescat. Quis tamen Maternum genus tacitus præterire poterit, quo sub cœlo nullum est splendidius, nullum sublimius, præter ea nãq;, quod vetusta serie à priscis illis Poloniæ Regibus recta linea derivetur, qui terra mariq; multa & præclara ediderunt facinora, plura de perfida Turcarum Gente erexerunt Trophæa & egêre triumphos: adauctius nonnihil redditur, quod Avia tua materna Regis filia, Regis Conjunx & nedum Regis sed Regum Mater, Soror pene divini istius Ladislai Hungariæ Bohemiæq; Regis fore dignoscitur. Qui pientissimus Rex non parum adjicit cum tibi tum alijs suis nepotibus splendoris, æstimationis et integritatis. Is namq; fuit, qui ab universa Christiana gente moriens meruit complorari, quem plures divorum numerum adauxisse autumãt, sed utcumq;, ex eius Gente Elysabeth Conegundis & aliæ æthereas domos inhabitant. Poterit itaq; haud ineptè

eptè

eptè de te dici istud Suetonianum, in Genere tuo esse sanctitatem Regum qui plurimum inter homines pollent, & Cæremoniam Divorum, quorum in potestate sunt ipsi Reges. Tantis itaq; & tam ponderosis excitatus exemplis, magnopere tibi elaborandum erit, ne ab eorum Claritudine videare degenerasse. Consuevit enim parentũ vis in filijs elucere, juxta illud Horatianum: Est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Fac itaq; diligenter ut cœpisti studijs incumbas, licet in hoc ipsis præstantior futurus, quod illi militarem, ut Principes consueverunt, habuerunt eruditionem, tu eam habiturus, quæ trivialis haudquaquam censeri poterit, & tunc cum prudens, tum sapiens judicabere. Dicit namq; Lactantius 3. lib. 8 cap. Virtus cum scientia juncta, prudentia est. Ita tu connectens doctrinam cum arte & virtute bellica, aureum tuis constitues seculum, dicente Philosopho: Beatas eas Respub. quarum Princeps prudens est, vel prudentum amator. Tu itaq; cum per doctrinam & ingenitam virtutem ne dum prudens, sed & sapiens evadere poteris, tuis es felicitatem, tibi immortalitatem adducturus. Vale, Tibi lachesis ducat stamina longa, precor.

PARA-

PARASITVS.

PAscebant Graij Latijq; scriptores plebem ver-
(bis & Fabula—,
At servis Domini verbera persolvebant libera-
(liter,
Quorum neutrum mihi unquam placuit,
Verba mihi non patior dari, nec fabula reficior,
Verbera si quis tenetur mihi: jam remitto debitum.
Sed q amplissimo elargiar consessui, plane non habeo,
Fabulæ namq; plebeculæ, ut porcis glandes, congruunt,
Fustes, flagra, compedes, furca, servorum est hære-
(ditas,
Vos, quod pulchrum, sonorum & elimatum, decet.
Verum cum id non sit mihi, erubeo venire vacuus.
Dabo igitur quod in præsens habeo,
Non horrisonam Tragœdiam, aut Comœdiam cothur-
natam,
Sed rem gestam, veram, & solidam subijciam oculis,
Quæ si tenui & submisso conscripta stylo, oleat barba-
Haud tamen cerebro officit, aut lædit nares. (riem:
Audienda est itaq; hæc hodiè.
Quæ tantò est cæteris Comœdijs conspectior,
Quantò veritas nugis præstare dignoscitur.
Ego hinc abiens vinariam cellam ingrediar,
Quæ mihi omni auditorio longè est suavior,

Vos

Vos (si vacat) meum reditum præstolamini,
Quem (ni factus vinosior) maturabo sedulo.

ARGVMENTVM.

ABiturus domo Stetinensis herus
Cum satrapis de expeditione consulit
Qui ad unum dissuadent omnes,
Inprimis uxor varijs terretur ostentis,
Hortatur frustra secum ut maneat:
Tandem litteræ afferuntur de eius interitu
Quas solertes senes cautè supprimunt,
Quoad lætiores herilis accipit conjunx
Quæ dijs sacrificans agit gratias,
Nuncius ut gesta sunt ordine omnia explicat.

ALIVD ARGVMEN-
tum.

PEregrè profecturus Stetinensis Dux itineri succingit,
Dissuadent (ne quidquam) proceres: tandem dolen-
(tes perferunt.
Miris modis excruciatur conjunx, doloreq; examina-
(tur misera
Solantur senes qui summæ præsunt rerum,
Hi acceptis de interitu ducis literis celare heram satagũt,
Obstrepet interea portis tabellio alias literas afferens,
Accersuntur senes quos sollicitudo tenet ingens,
Lætis demum reb⁹ matrona dijs actum gratias properat,
Tabellio (interpellat⁹) senibus rei gestæ promit ordinẽ.

C ALIVD.

ALIVD.

PArante abitionem Stettinense duce,
Proceres adversantur, & temerè tentant.
Qui cùm (lugente uxore) fatigantur frustra,
It splendido comitatu, & dolis subijcitur.
Mœstæ litteræ suorum perculunt animos,
Eius putativam mortem heræ detegunt,
Quæ demum de incolumitate facta certior,
Senibus rei gestæ seriem jubet enarrarier.

INTERLOCVTORES.

PARASITVS.
ARGVMENTVM.
DVX.
MARSCHALLVS.
CANCELLARIVS.
DVCISSA.
PHILOMENA, MAGISTRA CVRIÆ.
EPISCOPVS.
CASTELLANVS.
DEMETRIO SENEX.
TABELLIO.
JANITOR.
PVER.

DVX.

DVX. MARSCHALLVS. CANCELLARIVS.

NEscio si singulari id fato evenit meo, an sors (haud æqua humanarum rerum dispensatrix) immitius in me debacchetur, ut omnia secus ac vellem adversa mihi eveniant: Sed sat credo hoc naturam omnium parentem omnibus nobis indidisse, ut semper anxij, cogitabundi, curis pleni, sollicitiq; simus: eam namq; infelicitatem tum auspicamur, cùm ab ea nudi, fragiles, cum gemitu, ploratu & fletu nascentes abijcimur. Quæ prima militiæ rudimenta cum ætate semper ingrauescunt: Et tunc efficiuntur acerbiora, cùm ratione consolidamur, resq; nostras arbitramur maximè pollere. Quia tunc ærumnas miseriasq; humanas melius perpendimus, cernimus fragiles & varias generis nostri conditiones: Tum lubricas inconstantis fortunæ fallacias, astus, dolos, fraudes & deliramenta cognoscimus. Ego qui omnium accolarum judicio fortunatissimus reputor, cujus florere principatum singuli autumant, nunquam animo consto, semper dubius sum & anxius, nunc spe animus impellitur, illico motu æstuat, paulò post inopinato dolore confligitur, ac deniq; dies noctesq; juxta excrucior, parta foris cum gloria, quiete à domesticis (amicitiæ prætextu) oppugnor, qui volentem peregrè proficisci, impediunt, curas curis accumulant, pericula (quæ nusquam extant gentium)

commemorant, obijciunt Exempla, terras mariaq; infesta reddunt, vellent, credo inglorius consenescerem, & puellæ instar sine fama, honore aut nomine apud patrios contabescerem lares, sed frustrabuntur conatu: Ibo namq; vel ab eis incomitatus, Dijs propitijs, singula exequar. Sed eccos ipsos qui hujusce rei indubij sunt auctores, Eos alloquar, & ex occasione aucupabor consilium. Quis, aut de quo inambulantibus vobis sermo est? MAR. Quis homo adest? CAN. O here salve, non spectatus obrepis. DVX. Excepturus fui clandestinè sermones, quos de me fore non sum nescius. MAR. Rectè ariolaris. DVX. Scivi, sed haudquaquam in bonam partem mei mentionem intulisse vos nõ dubito. CAN. Semper ego legere consuevi & audire eos, qui culpa vacarent meritò suspitione levari, verum tecum nobis secus accidit. MAR. Perferendum est quod à patrono obijcitur: at si alterius conditionis esset homo, jam pro verbis verbera lucrifaceret. DVX. Itane? MAR. Ita inquam, & tu quidem qui nostram habes fidem perspectissimam, modestius deberes agere, ne tacentes ob tui reverentiam (conscientia culpæ) timidi, aut loquentes petulantes (quod nollemus) possemus videri. CAN. Vtrumq; durum est, aut perferre quod honori & æstimationi officiat: aut herum impudentius lacessere, commotoq; animo irarum somẽta suggerere. DVX. Verum dicitis. At ego non eo animo ea protuli ut vobis diffiderem, aut famam vestram vellem denigrare: sed ut vos cœpto subducerem, tam enim obstinatè conatib⁹ obversamini meis, ut & alios purpuratos trahatis in sententiam. Quod haud æquum à me censeri potest. Hi enim estis, quibus ob virtutes primarias partes asscripsi, contuli in

li in utrumq; quantum potui splendoris, nihil vobis abnuentibus peragitur. Vos leges vivendiq; normam cæteris præscribitis, vestræ auctoritati omnia parent: Religioni & prætexati (nobis parentes) deferunt, urbes & municipia obtemperant, omnia panduntur secretiora consilia, nil vos præterit, nil latet, vestro decreto omnia sanciuntur. Quare non esset iniquum, mihi (cujus umbra hæc fiunt) deferretis nec temulenta petulantia contraluctaremini. MAR. Vera prædicas. Sed miror te qui prudentissimus es suspicari, quòd libentes tibi observemur. DVX. Cur igitur? MAR. Sacramento adigimur quod tibi præstitimus, ut vera, recta, salubria consulamus, non dulcia. CAN. Vellem ego ni eo ut calcari urgerer omnia dicere quæ tibi scirem plurimum placitura. DVX. Quid igitur ea quam paro expeditio terroris incutere? aut damni inferre potest? Cur tantopere dissuadetur? MAR. Quæris? desine obsecro. Cui tàm latum imperium, populos & gentes? communem privatamq; fortunam? dulcissimam conjugem? suavissimos liberos? patrios lares geniúq; ipsum relicturus discedis? DVX. Regnicolis quibusdam qui ex fide ipsis præerunt. CAN. Non tàm fidem quàm facultatem hujus muneris perquirendam censeo. Quid enim fieret si novercante fortuna (quod Dij omen avertant) valetudinaria conjunx aut filij conspicerentur? Quid si hostiles insultus, aut nostratum rebellionem sentiremus? Quid tunc consilij capiundum esset? quo nos converteremus miseri? nonnè te ex ultimis orbis terminis accire tutum? aut ad longius differendum salvum? DVX. Futiles hæ sunt cogitationes, nec nisi rarenter solitæ evenire. CAN. Fateor, sed qui nobis adsunt

sponsores, qui nunc non eventuras pollicentur? DVX. Virtus vestra, & mea fortuna. MAR. Hui quàm parū virtus nostra huic morbo opis afferre poterit, fortuna tua etsi sit ampla, insignis, & magnifica, non tamen ea cui tantum (tutò) committi possit, quandoquidem optimo cuique minimè fidendum: Solet namq; tunc cùm florentissima est, plerūq; fallere & commutare vicem. DVX. Hæc omnia quæ dicitis, & me præsente posset. CAN. Verum, sed non ea efficacia: præsentis namq; hominis faciem leonis dicunt, & torvi urgere præsentiā, præstantissimus vatum canit. DVX. Canat ipse, an vos lugeatis, indifferens, ego itineri succingar. MAR. Aliud, si hoc tramite jeris, quid tunc dissuadendo, quid rationes adducendo proficimus? Sed meritò non in tantum vilescere tibi opulentissimæ fortunæ, munitissimæ urbes, innumeri populi deberent, ut hæc certa cum incertis cōmutares: Ea spernentem moveret meritò conjugalis tori dulcedo, faustissimæ sobolis affectus. Si verò iter jam decrevisti, uno exprime verbo, nec te & nos frustrà fatiga. DVX. Iam placere incipitis, cùm mihi desertis summam rei, id libero meo exponentes arbitrio. Proin tu abi, fac tercentum armentur equites, qui mecum unà iter capessant, nec te subtrahe, quoniam cōsilio tuo et opera decrevi uti. MAR. Faxo meam cum fidem tum diligentiam liquidò cognosces, visnè aliud? DVX. Benè agis. Heus tu adesdum. CAN. Me nevocas? DVX. Te. CAN. Quid rei mandas? DVX. Vt omnia mea nullo discrimine commissa habeas, ea fidei, industriæ & solertiæ tuæ subijcio. CAN. Grave pondus & impar viribus imponis humeris, sub quo vereor posse cōcidere. DVX. Nequaquam. CAN. Sed non injuria metuo.

DVX.

DVX. Nil tàm grave est, quin studio & ingenio possit molliri & minui. Nil tàm durum, asperum & rugosum, quod non possit labore, industria & sagacitate illiqueari, exasciari & planari. Quare strenuè capesse provinciam, & difficilia quæq; levia videbuntur. CAN. Vt jubes faciundum erit. Dij omnia benè & ex sententia vortant.

MARSCHALLVS.

O Summe rerum opifex, quot miserijs, ærumnis, & calamitatibus hæc nostra vita contaminata est. Rectè dicitur: Humanis delitijs parum mellis, fellis inesse plurimum. Ego ut jusserat herus, proceribus volūtatem eius patefeci, qui ad unū stomachātur omnes: me hujus tesseræ magistrum ajūt, pericula enumerant, discrimina recensent, rem deniq; ipsam vel justo plus (etsi temnēda nō sit) aggravāt. Quid igitur consilij captem? quoniam neutiq; suspicione careo. Dux me optimatium partibus faventem suis, me illi incusant. Tum Ducissa (Dij boni) quot cruciatibus afficitur, mœret, luget, gemit, suspirat, flet incessanter, irrigātur lachrymis genæ, ora perpetuis rivulis madefiūt. Tristicia omnia plena sunt, ululatus toto gynæceo personat, fremitus exaudit, miserabili clamore & fœmineo gemitu singula constrepunt. Miseret me profectò hujus, vellemq; si quo possem modo subvenire dolenti. Sed frustrà attento, nil n. ago si dissuasero ei, ob id superis re cōmissa, hoc saltem precabor, fausta sit hęc nostra abitio. Sed eccam, foras egredit̄, me priusq; ab ea cernor surripiam, ne huic festinans nimis, aut hero morosus videar.

DV-

DVCISSA. PHILOMENA.
MAGISTRA CVRIAE.

Vò virum dixti juisse? PHIL. Ad fortunæ campum, ut ibi collectis militibus rectà hinc abeat. DVC. Placet omen, sed quo id narrabas autore. PHI. Cubiculario, quem paulò ante eo festinante conveni, solerter singula perquirens. DVC. Vellem te diligentius rebus meis invigilare, ut non pro certis nunciares incerta. PHI. Feci accuratè, omniq; diligentia annixa sum ordine omnia rescirem, nec arbitror me homo tantæ bonitatis fefellerint. DVC. Debuisses ijsse nonnihil festinantius, ut non cum istinc venerim abijsse virum cum dolore querar. PHI. Ivi quo potui hera celerius, nec qnicquam cunctationis injeci, sciens anhelanti animo festinari non posse satis. DVC. Nescio quid mali mihi mens præsagiat. Cor palpitat, pulmo singultit, splen contrahitur, & ipsa deniq; quasi præcordia disrumpuntur. MA. Euacua te quæso his curis, nec quicquam sinistri metue. DVC. Vellem si possem, Sed eo nunc res non sunt statu. MAG. Cur? nonnè viri antehac in æquè longinquas expeditiones (& aliquanto quàm hæc est periculosiores) juere, & tamen præter spem sæpe honorificentissimè sunt reversi. DVC. Haud falsa commemoras: Sed me miseram interdiu horrenda prodigia, nocte insomnia territant. MAG. Desine rogo talibus habere fidem, nil enim veri

inesse

inesse, à prudentibus compertum habeo. DV. Dij faxint. Sed vidi heri cervum (quo in delitijs maritꝰ utitur) ab ignotis quibusdam canibus miserè lacerari, & ad necem usq; torqueri, cum ingenti vitæ periculo. MA. Quid tum? DV. Occidisset, nisi supernè ei auxilium esset demissum: Aves namq; clamore & clãgore alarum eum tutatæ sunt, canesq; rabidos abegerũt. MA. Sed quorsum isthæc? DV. Quorsum quæris? Quia funestũ est omen, nõ injuria expauesco, timens ne insidijs vir posset excipi. MA. Faustum ego, non funestum contenderim, si utiq; portentis indulgere juvat. DV. Faustum nè? MA. Imò, nam si in qua præcipitaretur pericula: ea subire in tàm celebri expeditione sicut homini esset peregrino pium, religiosum & sanctum: sic militari æquè gloriosum, clarum & splendidum: Qñ tamen supernè, hoc est, à Sũmo Opt. Max. Deo, defatigato laboribꝰ proculdubio suppetiæ ferentur. DV. Ita naviter interpretata es, ut ab ingentibꝰ curis (quibus opprimor) aliquatenꝰ respiraverim. Verùm somniũ ꝙ præterita vidi nocte me maximè turbat. MA. Istud oro detege. DV. Vidi maritum maria sulcantem, multis exagitatum procellis, medijs fluctibus obrui: Et omnia elemẽta mihi visa sunt in eum desævire, micãtia fulgura, æstuãtia maria, saxosos scopulorũ caucasos, rapidum & furentẽ boream, ipsi intentare mortem. MA. Ne hoc quidem placet. Quid postea? DV. Tandẽ per nos jam ferè comploratus, illæsus mihi redijsse visus est. MA. Diurnas ego sæpè audivi cogitationes in causa esse, unde talia proveniant somnia: à quibus si ipsa tibi temperares, nõ tàm horrendæ visiones animum sollicitarent tuum. DV. Aliquid dicis. Sed hoc somnium eò est atrocius, quò plus casus, tempus, conditio, suspectum reddunt. MA. Nil moveor, dulcia namq; cogitanti, dulcia: duriora, dura: truculentia, talia qualia tibi evenère, obversari solent. Sed fac ali-

unde traxisse causam, haud tamẽ aliò spectare potest, nisi ꝙ periclitari posset, cum tamen exitus fortunatissimus sit futurus, qui casus quãtò sunt duriores, eò altius posthac viros fortes oblectare cõsueverunt. Tu igitur resipisce, & omnia futura firmo & inconcusso animo perfer, nec despera, quin olympi rector omnia suo ordine disponet, ordinata dextro (ut ajunt) sidere perficiet. DVC. Facis tuis adhortationibꝰ ut resumpto animo benè sperare occipiam. MA. Rectè agis. DVC. Sed virum huc video properantem meum, miror quid rei proposito eum averterit?

DVX, DVCISSA.

Revisum eo, quo in statu res cõjugis sitæ sint, quam maximo tabere mœrore dicũt, cui ultimum dicturꝰ vale extẽplò facessam. Iam n. equites armis instructi, meum expectãt reditũ. Sed eam habeo inopinatò obviã. Salvere te uxor jubeo. DV. Et tu mi vir salve. DVX. Quò gressum dirigis? DVC. Te visum. DVX. Nunquid salvæ res? DVC. Salvæ. DVX. Quid vis igitꝰ? DVC. Rogare instituerã, me ne desereres. Et hoc ipsum te per meum intemeratũ amorem, cõjugale fœdꝰ, amborũ (quæ tibi enixa sum) pignora, per ea si qua à me quę grata fuère, per caput, tuãq; dexteram rogo, oro atq; obtestor, me ne deseras. DVX. Non te deserere, sed exiguũ tempꝰ relinquere in animo est, illicò te majori gloria, laude & gaudio invisurꝰ accedã. DV. Mi vir, varij sunt casus, imẽsa pericla, quæ tali tuo instituto adversari possent. Quare obsecro, mecũ mane, ut toto nostro seculo sine cura aut sollicitudine trãsacto, trãquillo animo alter alterꝰ lumina claudat, novissimos jũgat amplexꝰ, & sic demũ cõsumato vitæ cursu (à filijs) majorũ inferamur sepulchris. Alij (qui te ambitiosiores sunt) nominis & gloriæ mercaturã exerceant, quæ tanti venit, ut te nõ fore solvẽdo judicem, nec vellem uno carere mense, si te famam Hãnibalis, po-

lis, potentiam Alexandri, Metelli fortunã, gloriam Scipionis, virtutem & felicitatẽ Octaviani scirem exuperaturum. DVX. Ex affectu loqueris, fœmineoq; duceris instinctu. Sed viri fortis est cõtemnere ociũ, fugere ignaviam, floccifacere discrimina, et ad clara periclis grassari. At tu vale, curaq; valeant filij, de quorũ salute nõ minus hac mea ero sollicitus. DVC. Quãdo aliter nõ vis, mos tibi gerẽdus est. Faustè et tu mi vir vale, fac quæso ne mei tibi obrepat oblivio. DVX. Fiet sedulò. DV. Te oro opt. max. Deus, vosq; cœlestia numina, ut hunc meũ servetis, servatum probè quantocyus sine discrimine reducatis. DVX. Iam sentire incipio, quàm grave sit à dulcibꝰ avelli amplexibus, nũc una relictæ desideriũ communis amor, mœror et cura admotis machinis expugnãt animum. Sed excutienda est mollities, languor, torporq; longius abigendus, & quæcunq; Deus & fors cõditionem dederint, amplectenda strenuè.

CANCELLARIVS, DEMETRIO SENEX.

Quid est ꝙ plus te solito cursitãtem video, qui ætate gravatus serpere consuesti antehac? DE. Ah missa verba face. CAN. Quin tu plus ætati indulge. DE. Desine morari. CAN. Tu festinãtiæ caussam detege. DE. Ingenti provocor periculo. CAN. Quale id est? DE. maximũ. CAN. Cõmune nè an privatũ? DE. tune heram? CAN. Quo ijsse? DE. Herilem cõnjugem? CAN. Quid egisse? DE. Cõmunem patronam. CAN. Quid attentasse? DE. Exanimatam. CAN. Exanimatam? DE. Audistin? CAN. Nõ hercle. DE. Ita est. CAN. Qua de causa? DE. Dolore, metu, amore & desiderio absentis conjugis reor. CAN. Proh Iuppiter. DE. Intro ibo, et si quæ spes vitæ superest, nil omisero, quo vitales illi spiritꝰ revocẽtur. CAN. Vnà veniam, si fortè qua in re usui tibi futurus sim. DE. Benè facis, sed properato opus est.

MAGISTRA CVRIAE.
CANCELLARIVS.

INgenti & maximo hera defuncta est periculo, quæ hac hora morti quàm vitæ fuit propior. O Polorum regina, o altissimi regis puerpera, quàm arctè meabat spirit⁹, quàm jam fuêre omnes vitales aditus præclusi. Omnis naturalis calor evanuerat, jam credo quotam fili partem à Parca præcisam, suumq́ crinem tulisse Proserpinā: Cùm tu castissima virgo, tua nobis affuisti clementia, ope demissa cœlitus, desperatis affulsisti rebus. Quare nunc tuis faciam thura admoveri aris, riteq́ ob tuum meritum sacrificabo. Sed quid demisso vultu, atris superciliis, rugosaq́ frōte Cancellarium incedentem video? Dij faxint, ne simulato dolore atrocitas rei respondeat. Cæterum quodcūq́ id sit, certum est ab eo sciscitarier. Sunt nè res omnes (ut cupis) salvæ? CAN. Minimè MA. Quid obstat igitur? CAN. Innumera. MA. Quæ ista sunt? CAN. Non promēda tibi. MA. Ha, modesti⁹ mecum age, nec indignū æstima, si de cōmuni re (heræ nomine) diligentius inquiro. Æquum namq́ est (quodcūq́ id sit) fore eam participem. CAN. Dissimulāda mihi erit ergà illam funesta & luctuosa clades, ne continuò per illam hera resciscat, quæ accumulando cruciatus cruciatibus dolore posset opprimi. Haud iniqua postulas, ut omnium quæ heram concernunt, noticiam habeas, nec quod illa te fugiant. Sed nunc me promere cogis, quæ ad te nihil. MA. Quæ ista sunt? CAN. Familiaris me perturbat jactura. MA. Tua nè? CAN. Mea. MA. Vnde accepta? CAN. A Vulcano. MA. Fuitnè hic inveteratus senex, claudusq́ furcifer, nonnihil liberalior distribuēdo ignem quàm debuisset? CAN. Rem

Rem tenes. MA. Condoleo, sed ferenda est hæc molestia fortiter. CAN. Ita faciundum. MA. Iam à te discedo, ut heræ sacrificem nomine. CAN. I prosperè. MA. Tu precor ipsam invise, mœstam & ægram solare verbis. CAN. Faciam sedulò, huic me tàm dextrè dissimulasse ingens malum, qui gaudere non possum luctuoso hoc tempore, herę tamē & mihi gratulor. Hæc namq́ mulierum conditio est, ut tacere non possint, nec rem aliquam celare arte. Effluūt continuò, & si verbis temperant, indicijs (gaudio vel mœrore insolito, ut res habet) occultanda produt. Quod si in hac quoq́ re evenisset, orbati hera indubiè essemus, luctumq́ in se maximum hæc domestica auxisset clades, & non parum sua ruina aggravasset: Quare tutum fuit consilio antevertere. Sed demiror quid senex venire cesset? Quem bino accersitum nūcio de omni re certiorem reddere cōstitueram, Et cum eo consulere, quo modo, via & forma heræ infortunium detegi posset. Et q́ sic hoc fiat, minimè ut noceat, oportunè nūc senex adest, qui non parum hoc malo vulnerabitur.

DEMETRIO SENEX.
CANCELLARIVS.

QVid rei esse debet, quod tantum accelerare ingeminatis nuncijs jubeor? literas allatas dixêre pueri, quas tales fore opto, ut metu nos non perculant aliquo, aut persundent luctu. Sed tota hac nocte mirè sum conflictatus, obversata sunt horrenda, quæ ita animum mentemq́ aggravarunt meam, ut eas (qualescunq́ sint) literas non parum metuam. Sed nōnihil Cancellarius solito videtur tristior, & nec hoc quidem placet. CAN. Tandem venis? DE. Quid tandem? nonnè tem-

tempestivè sat adsum? CAN. Non gravarer si iisses expeditius. DE. Pedes habeo, et eos jam annositate debiles, alæ mihi si essent, festinantius affuissem. Iam displicere incipit hujus taciturnitas, inprimis me non familiaris susceptio affligit, sed nũquid vis? CAN. Plura. DE. Ex parte detege. CAN. Intendo, sed non scio uti ordiar. DE. Tamnè sũt varia? CAN. Imò simplicia. DE. Cur igitũ cessas dicere? CA. Nequeo temperare lachrymis. DE. Quamobrem? CAN. Literas cepi. DE. Bonas nè? CAN. Minimè. DE. Quid igitũ narrant? CAN. herum. DE. rediturum? CAN. nõ. DE. Valetudinariumnè? CAN. nec hoc quidẽ. DE. Quid tum? CAN. Suosq; omnes. DE. affuturos? CAN. non inquam. DE. Quid tum ideò? CAN. Periclitatos. DE. Terranè an mari? CAN. utroq;. DE. Mira narras, vera si sunt. CAN. utinam falsa. DE. Quid igitur actum? CAN. periere. DE. Quo modo? CAN. Interiere. DE. Omnesnè? CAN. Nullo excluso. DE. Proh summe Iupiter. Sed tu mortuos eos asseris? CAN. Ita dico. DE. Quo mortis genere? CAN. vario. DE. Quomodo vario? CAN. igne, aqua, reste, telo missili, securi & gladio. DE. mirãda narras. CAN. Hasce lege literas. DE. O optime Deus, ô pientissime Redemptor, quam hic est casus deflendus, quod tot clari & insignes viri Machometeæ cesserint spurcitiei, ꝙ tam impiè & nefariè latrones in eos desævierint. Sed filio aliisq; obmissis, me principis urget conditio, illius interitus me lacerat, oppugnat, laniat & discerpit, mors ejus mentem rapit, medullas penetrat, corrodit fibras, vexat animum. Et oculis deniq; obversatur cadentis imago, cui nec cupio nec volo longiꝰ esse superstes. CAN. Temperantiꝰ age, cohibe fletũ, lachrymas absterge, te deniq; virum monstra. DE. Nequaquam. Sic enim gemens, mœrens, fremens & frendens vita excedam. CAN. Serva quæso teipsum, et gemitu nil nos agere posse, diligenter cogita, sed eò potius animum intende, quomodo servetur hera. DE Actum est ilicet, expirabit illicò cum rescierit. CAN. Ob id maximopere opprimendum, & de salubri cogitandum consilio, quo dextrè eatur obviam, ne una exitialis ruina, aliam (jam in præcipitium inclinatam) secum trahat. DE. Rectè admones, sed quis modus? CAN. Vt aliquot dies lætos nos singamus, deposita omni mentis tristicia, vultu nos reddamus hilares. Demùm captantes mollissima tempora eam adoriamur ambagibus, nonq; semel effusa casus enormitate, sensim rei gestæ seriem enarremus. DE. Prudenter consulis. Sed diffido mihi ipsi, ne victus dolore rem minus celavero gnaviter. CAN. Facies scio, nihilominus infrequentius adi, & si aliquando dolor prævaleret, ægritudinem effinge. Et vide ne aliqua deprehensa nota te capiat, difficilimum namq; amantem, languentem animo, & omnia (vel tutissima) formidantem, fallere. DE. Annitar ea exequi, quæ gravissima sunt, agere tamen gnaviter instans periculum & timor me adigunt & urgent: interea spero præsul Caminensis aderit, cuius fretus consilio, majori arte rem conficiam. Huc ingredior, tu pone lege vestigia.

TABELLIO, IANITOR, *CASTELLANVS.*

APeri, aperi (heus tu) illicò aperi. IA. Quis hic insanꝰ heriles cõfringit fores? TA. Audin? actutũ aperi. IA. Desine verberare verbero, aut ego te fustibꝰ verberabo. TA. at ego te cędã flagris. IA. Ego tibi caput diffringã, ni tã petulãter pulsitare cessites. TA. Tibi dico Carnifex aperi, ni à me vis pati lumbifragiũ. IA. ebriꝰ hic me ultrò lacessit minis. TA. ni properè aperueris, ostiũ et te unà cõculcabo. IA. tune? TA. ego, atq; ultra te den-

dentibus exossabo. IA. At ego te pugnis contortum ad necem usq; cædam. TA. Desine minitarier. IA. Tibi dico, nõ tàm indiscretè pulsita. TA. Intrò fac veniam, qñ properato opus sit. IA. Ni extemplo hinc abieris, tegula tibi disrumpam caput. TA. Hic sapit, declinat certamen, non cominꝰ (ut minatus est) sed eminus congressurus, in quo pugnæ genere primariæ suæ sunt partes: Cùm me (tectus mœnibus) ex alto comodius possit impetere. IA. Tu nõ abis omnium belluarum maxima? TA. Tu non aperis furum omniũ, et grassatorum pessimꝰ? CAS. Qui hi sunt insueti quos exercetis clamores? IA. Nebulo hic valuam vi & armis oppugnat. TA. Hic me latro immeritò portis arcet. CAS. Quis es tu? TA. Tabellio. CAS. A quo missus? TA. A Bugislao Stettinensiũ Duce. CAS. Ohe expectatꝰ advenis. TA. Haud equidem considero, qñ tanta repellar pertinacia, familiarisq; haud familiariter excipiar. CAS. Ha, non succense: hũc suum expectat meritum. TA. Quale id est? CA. Vapulabit. TA. Quãdo? CAS. Cùm patieť tempus. TA. Iam nõ repugnat. CA. Cum usura ego debitum ei solvam. IA. Exolve ei quæso, minimè impatiens est moræ, nec fidit debitoribꝰ. CAS. Vt vis fiat. IA. Te obsecro. CAS. Potin hunc intromittere? IA. Non novi hominem. TA. mentiť, potuisset agnovisse insignia. IA. Non vidi. Adde ei rogo aliquot plagas ob mendaciũ. CA. Sat est, eamꝰ intrò.

PVER. CANCELLARIVS. *DEMETRIVS.*

DIscurrendo ego hinc inde defatigatꝰ sum, nec usq; eos quos quæro reperi, ne itaq; longior mora noxæ mihi apud heram fiet: rectà ad eã propero, quam (tametsi culpa vacem) stomachari mihi nõ ambigo, durioraq; iræ suę spicula in me contorsuram, quòd ambos non adduxerim, cuncta-

Cunctationis namq; impatiens, quasi ipsis absentibꝰ literas aperuisset, quas maximo excepit gaudio, milliesq; est osculata. CAN. Nos nimirũ hic quæritat, qñ allatas memoret literas, & de duobus loquitur. DE. Ita opinor. Sed clama priusq; se proripuerit. CAN. Heus tu. PV. Quis hic clamat homo? DE. tibi notus. PV. Oportune vos invenio, missus namq; sum ab hera, vos ad eam attraherem. CAN. Quid hæc vult? PV. Nescio. DE. Dic sodes, novanè sunt? PV. Allatæ literæ. CAN. Quàm vereor, ne hæ rem quã deprimere cupimus, detegãt. DE. Nil plus metuendũ. CAN. Ita ut dijs placet, eveniat.

DVCISSA, EPISCOPVS, CANCELLARIVS, DEMETRIVS, *TABELLIO.*

HAs ad me literas dulcissimꝰ misit conjunx. EP. Quid novi afferunt? DVC. Boni plurimum. CAN. Vtinam. DVC. Scribit se à Romanorũ rege, Electoribus & Principibus exceptum splendidè, qui omnes alternis officijs erga eum decertãtes, cùm honoris tùm munificentiæ plurimum congessère. EPIS. Optimè factũ. DVC. Tum abeunti ad dominicum sepulchrũ, Rex benignè comeatum tribuit, eum ad aliquot millia passuũ officij est gratia insequutus. EPIS. Ex sententia singula evenerunt. DE. Sed jam timeo graviora sequenť. DVC. Sulcantem maria sereno et placido cœlo, ingens vis Turcarũ est adorta. DE. Heu totus formidine tremo, vixq; consisto plãta. CAN. Miror quorsum evadet? DVC. Liburnicam qua vehebatur, mille artibus, operosis machinis oppugnãtes capere seu expugnare non potuère, sed ea egregie, virtute & opera comilitonum est defensa. EPIS. Quid igitur postre-

mò actũ? CAN. Idipsum rescire percupio. DE. Ego desi-
derio æstuo: DVC. Ampla est historia, longa ambages.
Sed cum ego ob rem feliciter gestam delubra DEûm adire
in animo habeam, dijs actura (quas merentur) gratias, ab eo
commodè intelligetis, quæ rebus omnibus interfuit, & ocu-
lato poterit depromere testimonio. EPIS. Perplacet, ut in-
stituisti facito. CAN. Tu dic uti res acta. DE. Id fac quę-
so. TAB. Modò excedentes, contendimus Candiam.
EPIS. Quid tum actum? TA. Præalti in cœlum surgunt
scopuli, qui Insularũ more maria occupant. EPIS. Illicnè
navis illisa? TA. Minimè. CAN. Quid actum igit? TA.
Intelliges. DE. Vellem fieret ocyus. TA. Locus hic collo-
cãdis insidijs aptissimus, quo cum ventũ esset, ex elata specu-
la datur signum, et continuò nos hostes antica, postica, & la-
terali adoriuntur partib⁹. DE. ô facinus indignũ et audax.
TA. Ad puppim onerariæ duæ maximæ deducuntur, ex
quibus ut alta quadã turri telis appetimur, proram Libur-
nicæ duæ ingentes occupãt, duæ triremes dextram, biremis
una lævam invadunt. EPIS. Non vos illico fugam molie-
bamini? DE. Nil fuisset cautius. CAN. Tacete si potestis,
et rem totam accipietis. TA. Cõtinuò patronus exclamat,
Veneti se fore sanguinis, ostentare insignia et precari ne se
(contra ictũ fœdus) injuria afficerent, nec quicq̃ temerè at-
tentarent, aut Venetam quiescentem pergerẽt lacessere po-
tentiã. EPIS. Quid tum ipsi? TA. Elato horrisono clamo-
re fremebãt, nihil seci⁹ tela imittentes: nos stupemus atroci-
tate facinoris, patron⁹ per omnes eos Deos obtestãs, cœpto
abstinere rogat, nunc minas precibus, et lachrymas miscẽdo
minis, verùm cũ se nil proficere cernit, ad imum navis (tela
evitans) se occulit: quem magna Italorũ pars est insequuta,
interea nos missilibus eminus oppugnãt, lapides, jacula, ve-
ctes, et omnia telorũ genera, in confertum bellantium cœtũ
cõtorquent, sulfura, stuppam pice et flamã mixtam deijci-
unt,

unt, vivæ calcis corbes ad extenuãdum obtenebrandũq; vi-
sum, ex sũmis caueis et propugnaculis devolventes. Dux vi-
dẽs rem in periculo esse, tabentib⁹ alijs metu, ipse agilis hinc
inde discurrit, hortatur singulos, stationes dividit. Quemq;
strenuissimũ amicè affatur, rogat, excitat, orat, obsecrat, ut
memores priscæ virtutis, religionis christianæ cum sangui-
nario hoste fortiter decertent, admonet identidem nullum
ipsis patere perfugiũ, omnia loca hostilibus armis obsepta,
continẽs à se undis invadibilib⁹ secretũ ob id omnẽ spem for-
tunas deniq; omnes nedum ipsarũ, sed cõjugum et filiorum
in eorũ dextris repositam, quæ si ea hora obtorpuisset, nullũ
post hac locum virtutis, nullũ clari facinoris esse habituram.
Hæc memorãs, saxa in hostem demisit, cõtorquet hastilia, &
tentantes puppim conscendere, in mare præcipitat. Eius ar-
dore cæterorũ vires coalescũt, excitat languens virtus. Qui-
uis intrepidè se obijcit periculo. Et jã comin⁹ gladio res geri
cœpta est, cũ crebri igniti orbes et onerarijs demissi vela cor-
ruperãt, multi comilitones flamã ambusti cadere, quæ jã ex-
ustis remis tota passim cœpit navi dispergi, quæ ferè absũpta
vulneratis propugnatorib⁹ et fessis diutinis laborib⁹ nihilo-
minus egregiè resistebãt. Omnibus nãq; una volũtas certæ
morti occumbere, quàm in hostiũ devenire potestatem, cum
illico hostis receptui canit, præfectis nauiũ ad se accitis, jubet
prætor, omni injuria abstineãt, spernenti mandatũ, irrogat
pœnã. CAN. Qua id fecit causa? DE. vellem et ego hoc sci-
re libens. EP. Ah sinite eũ cœpta exequi, nolite esse molesti.
CAN. Quid molesti? Finem audire satago. DE. Id et ego
percupio. EP. Dic igit extẽplò, atq; horũ restingue desideri-
um. TA. Ferũt cum acerrime depugnaret, et jam nostrates
ob strenuè navatã operã deficerẽt, aliqui cõcidissent, vidisse
prætorem (Gamyr nomẽ fuit) Machomet eorũ Deũ à Chri-
sto in sũmitate mali pessundatum, malè mulctatũ, et cæsum
flagris, et ab eo auxiliũ expetisse, q̃ tum præstare posset, si à

 teme-

temerario ausu continuisset manum: Si verò pergeret prosequi, sciret se toti Machometeæ genti ingens incendiū excitaturum, si quid sine ingenti ipsi⁹ interitu restingui nequiret: non in tantum sitire deberet paucorum sanguinem, qui multa suorum strage, & nimio Turcarum occasu vindicādus aliquando foret: ita peregrinos istos DEO esse cordi. Movit prætorem misera Dei sui conditio, & ea qua potuit ope subveniendum duxit. Exponens igitur ea, quæ viderat, cōmilitonibus derisui habere ceptus est, Præfectorum unus acerbè nimis in eum invehit, pavorem & animum fœmineū increpans, nec tanti dixit Christum æstimandum, quanti eū suis diurnis somnijs faceret, quòd is contra Machomet Deorum omnium maximū posset, cujus famulatu dign⁹ haudquaq; esset: & cum talia & acerbiora promeret, illicò obmutuit. DE. ô factum bene. CAN. beasti. EPIS. quàm justa hæc fuit Dei vindicta. TAB. Eo tacente Arfaxat vir impiger, & claritudine rerum gestarum apud populares magni nominis, acrius longè increpitat, se Christianum ductorem Turcis in navibus videre exclamat, qui christicolis in sumo periculo cōstitutis, opem (quam ipsi non possent) figmentis, ambagibus, & anilibus somnijs esset laturus, se, ni summi magistratus eum reverentia cohiberet, prætorem in maria præcipitaturum, & videre si CHristus latro (qui dignum dolo astu & fallacia sua tulisset præmium) illi esset subventurus, qn̄ nebulo in crucem meritò esset subactus, quo mortis genere aliud non extaret nec fœdius nec spurcius. Redarguebat eum levibus prætor verbis, & identidem dicere, non vanum id esse aut futurum, quod meridiana luce vidisset, qui flentis Dei sui voces aurib⁹ collegisset. Sed ferox & asperum ingenium nil mollitum consilijs, maxima calumnia, dira & execranda in Christum profudit. Tandem medio conamine (murmurante adhuc gutture) cecidit exanimis. EPIS. Aptiori tempore vindicare injuriam Deus non potuisset. TA. Tum

Tum tota turba fremere, pavitare, circūspicere, tremere & horrere incipit. Omnes uno ore efflagitant (dimissis Christianis) Betica legat littora, q̄ eò facilius impetrant, quò prętor sua fuit sponte inclinatior. EPIS. Sed quid vos egistis? TA. Cōdignas gratias Deo retulim⁹. EPIS. Aliudne? TA. Ambusta navi disfractis remis in Candiam concedimus. EPIS. quid ibi fit? TA. navis reficitur. EPIS. benè. TA. Saucij curantur. EPIS. Rectè. TA. Explentur remorum ordines. EPIS. optimè. TA. & tandem omnia, quæ ignis absumserat, resarciuntur. EPIS. Laudabili instituto omnia cum gloria sunt confecta. CAN. Vera memoras. EPIS. Huc intrò concessero, ordinatum, ut advenienti hero (ut æquum) prodeamus obviam, utq; in eum benemeritū omnia congerant honorum genera. CAN. optimè facis. DE. At ego pręconis voce tantum gaudij popularibus divulgabo, campanarum clangore, tubarum concentu, canentium melodia, variorum instrumentorum harmonia & modulamine, gaudentis animi indicia depromam. TA. Vos rectè & ut vultis valete, quod si nequit, ut possitis, & cujusq; patitur fortuna maximè.

Cum à tàm insigni & memoranda expeditione Venetias ventum esset: Dux (ne tàm sublimem virtutem merito præmio fraudaret) cum toto Senatu omnibusq; patricijs magna et celebri pompa exornatis navib⁹ lōgo ordine prodijt obviam: Quæ partim erant bysso purpuraq; contectæ, partim coccineo serico & murice comptæ, in qua re Venetæ divitię inter se contendere, vel potius luxuriare visę sunt. Imprimis navis prætoria (quam Bucephalon vocant) qua ipse Princeps excipiebatur, spectatores in se convertit. Quæ ostro auroq; ab imo ad sumum fuit velata. In eam accept⁹ amplis magnificisq; verbis suscipitur, aguntur gratiæ, quòd tanta constantia & magnanimitate seipsum, commilitones, navim Venetam à Turcarum insultib⁹ defenderit, quod decus

cus cum suum tum Christianum non modò conservârit, sed ampliaverit, extulerit et adauxerit, pro qua re tantas deberi sibi gratias, ne dum à Venetis, sed à Christicolis omnibus, ut non modò debitas communi nomine, sed ne suo in præsens possent exolvere. Id tamen Venetis curæ fore, ut in eorum annales res conscriberetur, quæ per omnes ætates sensim ad posteritatem deflueret, ei benè merito imortalitatem paritura. Posthac rectà ad magnificum et extructissimum palatium, in quod publico nomine est deductus, itum est. Vbi quiete perfrui jussus, à Duce, Senatoribusq; deseritur. Non conabimur describere, quanta pompa et celebritate illud expolitum fuit, quāta luxuria et venustate aulæis pictū, qn̄ ea res (tentata modò) opus faceret, ultra institutum, suo splendore excrescere, cum tamen stylus perfunctoriè cupiat omnia explanare, ad finemq; acceleret. Sequenti die Dux stipante Senatorum caterva eum adit, benignè alloquitur, fovet, promissis onerat, spe elevat, pollicetur plura, quæ ipsius sint cum æstimationē, tum gloriam adauctura, Venetam deniq; amicitiam perpetuam sibi fore spondet: hortatur benignitate Senatus, opera, potentia, auxilio, liberalitate, opibusq; audacter utatur, vel (si ita visum fuerit) abutatur, eos illos fore qui nil tantoperè cupiant, quàm ipsi in omnibus gratificari & prodesse, ille nec respuebat oblata, nec pro sua modestia intemperantius utebatur, patribus plebiq; ita acceptus, ut solius nomen tota urbe prædicaretur, laus, gloria, honor & virtus pleniori decantaretur ore, quousq; Senatus ei publico sumptu prandium fecit, & epulas instruere tanto sumptu & prodigalitate, ut nō credendum sit Lucullis unq; majori celebritate prandisse: nec cœnam istā, qua Antonius à Cleopatra excipiebaẗ, tanti cōstitisse, quæ tamē tot à Plinio cæterisq; auctoribꝰ sestercijs æstimatur. Aderāt (ne aliquid festivitati detraheẗ) primariæ & pulchriores Venetæ matronæ, quæ omnes hero purpuratisq; suis blandiebātur

bantur, hilares, serenis vultibus ipsos cōtueri, cōnivereq;, admirabundæ Principis staturam (quæ humana quodamodo videtur augustior) cōtemplantur. Splēdorem vultꝰ, habitudinem corporis, membrorū pulcritudinem, morū venustatem, incessus gravitatem, linguæ agilitatem, vocis, verborūq; sonoram pronūciationem collaudāt, extollūt, et magnificiūt, quælibet earū fortunæ imprecatur, quod talem sibi nō contribuisset virum. Eam beatam dicūt, quæ tam felicis et splēdidi herôis perfrueretur cōtubernio. Iam fames multis edulijs, varioq; ferculorū genere satiata fuit, cum tricliniū tot numero peregrini ingrediuntur, quot cum ipso principe proceres ex suis prādebant, qui (quātum fieri potuit) cujꝰq; habitū, formā, staturam et dispositionē repræsentarunt. Hi vulgari ad hoc composito carmine, Pomeranos se dixerunt, et in animo habere Dominicū adire sepulchrū: et quo id magis ex sentētia fieret, divinum auxilium implorabāt, stupuit primo intuitu princeps, pallebāt satrapæ, credētes hoc in suū dedecus fieri, tacitè alter alterum contuetur tenui susurro, tremula lingua, execrator cōviciatores quivis vel nō adesse vel celeriter abire optat. Quoad ex alia parte vident erumpētem magnam vim Turcarū, qui furibundi ut rabidi canes eos adoriuntur, vulnerant, prosternūt, et occidunt. Sed viriliter istis resistentibꝰ, tandem cōtra spem Turcæ in fugā conijciuntur. Quos cædētes Christiani cōficiunt et enecant, gratias omniū Creatori agentes, q eos à tanto hostium insultu sua clementia liberârit, dehinc interemptos cōmilitones tumulant, Encenias peragunt, ducunt insigni spectaculo funebrem pompam, saucijs medicos adhibent. Et tādem oblitis vulneribꝰ crudis adhuc cicatricibꝰ cepta exequūtur Hierosolymam adeūtes, parvula interjecta mora per aliam quādam redeuntes ingrediuntur portā, canētes se jā pietate Dei confecisse votū, et precari ut liceret ipsis patrios lares geniumq; invisere. Tū repētè virgo quedā apparuit, cui angeli famulabantur

bantur, aurea corona gemmis intexta decorabat caput, vestis albescens et candida aureis fulgētibusq; fuit stellulis conspersa, & omnia deniq; quæ in ipsa conspiciebātur, humanis fuêre opibus & divitijs luculentiora, hæc peregrinos accedēs, acceptam sibi & filio navatam operam & depromptam devotionem prædicat, nec se unq; tanti meriti futuram imēmorem, declaraturamq; aliquādo quàm fuerit ei tàm nobilis victoria accepta. Cæterum non gazis, nō thesauris, honoribus, aut divitijs (quas miseri mortales tanti æstimant) posse tàm præclarum facinus remunerari, sed sempiterna gloria & beatitudine esse dignissimum: qua certè & indubiè filius eos paulò post esset honestaturus. Interea in promissorum certitudinem & meritorum lauream torquem aureum magni valoris, augustiori inter omnes, qui principis personam adæquabat, est elargita, asserens fore ut per id insigne sicut olim Manlius ne dum gentilicijs, sed Romanis immortale & splendidum decus peperisset: sic eum nec in hoc seculo nomine, nec in alio spiritu unq; moriturum. Tunc ipse & alij pallia passi sunt per scapulas delabi, & omnes auro purpuraq; vestiti conspiciebantur, collaudantes glorificantesq; Deum, qui est ingenitus, increatus, immensus, & sempiternus, ejusq; intemeratam genitricem, quæ virgo eum concepit & peperit, & in generis humani redemptionem (cum incomprehensibilem) mundo profudit.

FINIS TRAGICOCOMÆDIÆ PROFECtionis Hierosolymitanæ Illustrissimi Principis Pomerani: LIPSIÆ ante annos 93. per Melchior Lotther impressæ.